

3. Februar 1748

VENERANDVM VETVSTATIS MONVMNTVM

SISTENS

Aug 1748. 5
3. Februar

299

STATVTA SVSATTENSIA^{1748,5^a} LATINA

SAECVLLO XII IN LITERAS REDACTA

DIV EXPETITA

EX ORIGINALI SVMMA CVM FIDE ATQVE CVRA
DESCRIPTA

ADDITO SPECIMINE ANNOTATIONVM

IVRIDICARVM HISTORICARVM
ETYMOLOGICARVM

CEV PRODROMO PROLIXIORIS COMMENTARII

PRIMVM IN LVCEM EDIT

SIMVLQVE LECTIONES SVAS PER INSTANS

SEMESTRE HIBERNVM INDICAT

FRANC. DOMINICVS HAEBERLIN

VLMANVS

HIST. PROF. PUBL. ORD. ET FACVLT. PHILOS. H. T. DECANVS
IN ACADEMIA IULIA CAROLINA

HELMSTADII

TYPIS JOHANNIS DRIMBORNII

A. C. MDCCXXXVIII

UNIVERSITATIS ALTDOMINICANA MONUMENTA
SOCIETATIS
STATUTA SAVSTELLENSIA
LATINA
SCALAO XII IN LITTERAS REFORMATIS
EX ORIGINALI SUMMA CAVENDISH OF FOLIO CAT
DESCRIPTA
APPENDICINE ANNOTATIONUM
TARINDIGRUM HISTORIAGRUM
ETHYMOLOGICARUM
CER TROLOMOS TRIMIXIORIS COMPLEMENTARI
LITERUM IN LACUNA Dicit
SUMMUS RECENSIORES SVAR PER INSTRVNG
SIMESTER HESSECKIANUS INDICAT
HINC DOMINICAS BAPTISTIN
AV MAMBR
HIC TIBI TIBI TIBI TIBI TIBI TIBI TIBI TIBI TIBI
IN ACADEMIA LIBRA GARDINAE
HELIUS STADII
TATLIS IOHANNIS DILIMOSORIUS
V. C. MDCCXXXVII



Q. D. B. V.



Celeberrimus est locus ARNOLDI LV-
BECENSIS, *Chron. Slavorum*, L. II. c.
XXXV. (XL.) comm. 8., Divum Fri-
dericum I. Imperatorem civitati Lu-
becensi IVSTITIAS SVAS SECVN-
DVM IVRA SOSATIAE confirmasse. Integra huius
vetusti Scriptoris verba in hunc modum sonant: Ve-
rum priusquam ei (scil. Imp. Friderico I.) civitatem
(Lubecenses) aperirent, exierunt ad eum, rogan-
tes, ut libertatem civitatis, quam a Duce prius tradi-
tam habuerant, obtinerent, & IVSTITIAS, quas in pri-
vilegiis scriptis habebant, SECUNDVM IVRA SO-
SATIAE, & titulos, quos in pascuis, sylvis, flaviis pos-
federant, ipsius auctoritate & munificentia possiderent.
Desumus hic locus est e Bangertiana HELMOLDI &
ARNOLDI LV BECCENSIS editione, quae Lubeca
1659. 4. prodiit. Desideratur autem in prima Chro-
nicæ Slavorum ab his Duumviris conscriptæ editione,
a M. SIGISM. SCHORCKELIO, Francofurti apud
A. Petr.

Petr. Brubachium A. MDLVI. in 4. curata, quippe qui, mutilo maxima ex parte usus Codice MS., modo novem priora Capita ARNOLDINI Chronicis suppeditata. E contra iisdem verbis legitur in *Reinecciana* (a) & *Leibnitiana* (b) Helmoldinæ & Arnoldinæ Chronicarum editionibus.

Quid sub IVSTITIIS, Lubecensibus ab ipsorum conditore Henrico Leone SECUNDVM IVRA SOSATIÆ datis, atque iisdem a Divo Friderico I. confirmatis subintelligendum sit, inter eruditos adhuc disceptatur. Sic enim LAMBECIVS, *Orig. Hamburg. L. I. p. 101.*, & qui eum sequitur BANGERTVS, in *Notis suis ad hunc ARNOLDI locum, p. m. 296. not. c)* existimant: intelligi hic non ipsum ius municipale Lubecensium, sed antiquam eorum consuetudinem, utendi agris circa urbem, pascuis & sylvis, nec non fluiis, ut Trava, Wakenissä & ceteris ex Holstorum, Mecklenburgensium & Racenburgensium terris defluentibus; cum quibus Duumviris agunt illustria inter Eruditos nomina, AEPIVS, in *Feriis æstiv. p. 283.*, & MICH. RICHEY, in *Hist. Statutor. Hamburg. C. II. §. 17. p. 53. sq.* Sed nostra ex sententia labuntur hac in re hi modo laudati Viri, & IVSTITIÆ hoc loco interpretandæ sunt de iure scripto five legibus in literas redactis. Illustris equidem DV CANGIVS, in *Glossario ad Scriptores mediae & infimæ Latinitatis*, &, qui hoc immortale Opus innumeris in locis in nova editione adauxerunt, Monachi Benedictini, inter varios vocis IVSTITIÆ in media ætate significatus, hanc, quam modo attulimus, significationem

(a) Quæ prodidit Francforti apud Andr. Wechelum 1581. fol. 470, p. 116, p. 651.

tionem neglexerunt; at illam huius loci esse, facile vel exinde liquet, quod ARNOLDVS in excitato loco sedulo ab invicem distinguat cum IVSTITIAS in PRIVILEGIIS scriptas secundum IVRA Sosatiæ, tum titulos POSSESSIONVM in pascuis, sylvis, flaviis, mentione insuper IVRIVM Sosatiæ vocis IVSTITIÆ significationem amplius explicante & illustrante.

Similem vox IVSTITIA significatum habet in Proemio Codicis Tunderensis veterum urbis Lubecæ Statutorum, in Illustrissimi atque Excellentissimi DOMINI Cancellarii DE WESTPHAL Monum. inedit. ver. Germanic., T. III. col. 620. seq., his verbis: --- conscribi fecerant Consules Civitatis Lubicensis Civitati Tunderensi - - IVSTITIAM Civitati Lubensi a - - Henrico - - indultam &c., & paulo post: Omnibus igitur hanc IVSTITIAM servare volentibus gaudium sit & pax &c. Explicatur hoc luculentius, & amplius confirmatur Conclusione antedictorum Statutorum Lubencensium Codicis Tunderensis, l. c. col. 631. sq., hunc in modum: ut autem HEC IVRA sive DECRETA - - a Consulibus Lubensibus Ci- vitati Tunderensi indulta atque CONSCRIPTA firmi- ter & iuste serventur &c. Suffragatur denique Titu- lus EORVNDREM de Bonis hereditariis, IBIDEM col. 622. sq., hae ratione: Quicunque habet bona heredita- ria & illa vendere proponit, primitus debet illa offerre hereditibus proximis, - - si heredes emere velint, emant, - - si non, hereditatem secundum IVSTI- CIAM civitatis vendant.

Præter rem itaque Cel. RICHEIVS, in Hist. Sta- tutor. Hamburg. c. II. §. 12. p. 47. not. (dd), coll. c. I. §. 15. p. 10. fqq., autumat, vocem IVSTITIÆ, in

dicto Prooemio Cod. Tunder. Statutorum Lubecensium, sumi pro PRIVILEGIIS, hac in re summum LAMBECIVM l.c. secutus. Quam sententiam vero oppugnavit, verumque, quem & nos defendimus, IUSTITIARVM significatum, fide *formularum diplomaticarum Sec. XII. & XIII.* pluribus evicit, laudatus Dominus DE WESTPHAL in praefatione, Tomo III. Monumentorum suorum ineditorum praemissa, p. 115. 116. sqq. not. c) Cf. EIVSDEM HEROIS TOGATI Specim. Documentor. ineditor. Mecklenburg. p. 7. sqq., quibus testimoniiis larga ibidem manu allatis alia adhuc adiicere, supervacaneum foret.

Posteaquam comprobatum dedimus, IUSTITIAS, quarum ARNOLDVS LVBECKENSIS l.c. mentionem facit, intelligendas esse de IVRE SCRIPTO sive LEGIBVS IN LITERAS REDACTIS; superest, ut obseruemus, quibusdam celebratissimis in orbe literato viris olim vistum fuisse, & alteram ARNOLDI lectionem: viz. SECUNDVM IVRA SOSATIÆ virtio laborare, adeoque medica indigere manu. Sic enim HERMANNVS CONRINGIUS (c) & PETRVS LAMBECIUS (d), quos hac in re secuti sunt laudatus BANGERTVS (e), & CASP. SAGITTARIUS (f) contendunt, loco SOSATIÆ legendum esse HOLSATIÆ. Verum tot Codicibus probatam, eamque genuinam, SOSATIÆ nimirum, lectionem, defendant *Susatumque* hic indigitari, contendunt REINERVS REINECIVS

(c) In *Comment. de Orig. Jur. Germ.* c. 28. p. 169. sq. edit. Helmstad. 1665. 4.

(d) In *Originibus Hamburg.* L. I. p. m. 201. edit. primæ in 4. & secundæ in fol. p. 29.

(e) In *Notis ad HELMOLDI Chron. Slavor.* p. m. 296. nor. c)

(f) In *Historia Bardevia,* c. VI. §. 35. p. m. 225.

CIVS (g), HENRICI MEIBOMII AVVS (h) & NEPOS (i), GRYPHIANDER (k), LEIBNITIVS (l), MOLLERV (m), BVRC. GOTTHELF STRVVIUS (n), Dominus DE WESTPHAL (o), HEINECCIVS (p), RICCIUS (q), quin ipse RICHEIVS (r), pluresque alii (s), quos brevitatis studio silentio prememus.

Abiecte equidem de SVSATO nostro sentiunt dissentientium nonnulli, & parum abest, quin illud non plane inter obscuras Germaniae civitates collocent; sed insignem errant errorem, aliosque erroris sui participes faciunt, qui ita cogitant, scribuntque. Tantam enim a vetustis inde temporibus SOSATIA nostra adepta est in Germania nominis sui celebritatem, quantam vix alia celeberrimarum communis nostræ patriæ urbium obtinuit. Si vetustatem spectes, SVSATVM vix ulli in Germania magna civitati cedit.

Sic

- (g) In Notis marginali ad citatum ARNOLDI LVBECENSIS locum, l. c. p. 116, quamvis paulum dubitanter.
- (h) In Notis ad Witichindi Annal., T. I. Script. rer. Germ. p. 670, vt & in Notis ad Irmenfalam Saxonici., T. III. Scr. rer. Germ. p. 32.
- (i) In Introdr. ad Hist. Saxon. infer. p. 88.
- (k) In de Weichbildis Saxonici, c. LXXX. n. 15, 16. p. m. 203.
- (l) In Notis ad Scriptor. rer. Brunsvit., T. I. p. 292. not. (*) & T. II. p. 651. not. (*)
- (m) In Iagoge ad Hist. Cherfon. Cimbr. p. 255. & 494.
- (n) In Historia Iuris, c. VI. §. 27. not. (†) p. 495. qq.
- (o) In Tr. de Confutidine ex Sacco & Libro in Germania, sigillatim in Magdali, p. m. 64. not. & in Prefat.
- (p) Tom. IV. Monum. inedit. p. 130. not. (e) In Historia Iuris, L. II. c. 3. §. 87. p. m. 81.
- (q) In seinem Entwurf von Stadt-Gesetzen oder Statutis, vornehmlich der Land-Städte, L. I. c. V. §. 1. not. (*****) p. 83. seqq. & c. X. §. 2. p. 131.
- (r) In Hist. Statuti. Hamburg., c. II. §. 18. p. 54. qq.
- (s) Quos allegant III. Dn. DE WESTPHAL, in Pref. T. IV. Monum. ined. p. 130. not. (o) & RICHI LVS l. modo c. p. 54. not. (nn). Addi per sciplegium possum: IOACH. LVCE. STEINII gründliche Abhandlung des Liebischen Rechts, P.I. p. 3. s. 8. IO. AD. KOPPII Hist. Iuris, p. m. 223. qq. not. (v) & IO. AVG. HELLEFELDII Hist. Iuris German. & Canonico-Pontifici, cap. V. Seit. I. §. 5. p. 138. qq.

Sic enim, si FÜRMERIO (t), TESCHENMACHERO (u) aliisque recentioribus Scriptoribus fides habenda erit, iam circa a. 628. SVSATVM a Dagoberto, Francorum Rege, obsecsum fuit, qui etiam, cladem hac occasione a Frisiis acceptam, maiori in eos a. c. 630. edita strage, referens, SOSATIAM S. Cuniberto, Colonensium Præstili, donasse dicitur SCHATENIO (x). Huic vero donationi, quippe chartarum & Scriptorum fide destitutæ, iamiam SCHATENIVS parum fidei tribuit, hinc merito eam post alios etiam III. LVDOLVVS (y), Cameræ Imperialis olim Assessor gravissimus, reiecit, eorumque adoptat sententiam, qui aiunt, SVSATVM demum post Henrici Leonis proscriptionem Archiepiscoporum Colonensium potestati fuisse subiectum. Cæterum cum dubia adhuc res sit, num SVSATVM iam Seculo VII. obsecsum fuerit; hoc tamen certissimum est, hanc civitatem iam Sec. X., imperante Ottone M., opulentia & magnitudine sua fuisse celeberrimam. Meminit eius VFFINGVS, Monachus Werthinensis, in Vita S. Idæ (z), & in Narratione de Translatione S. Evergisi Colonensis olim Episcopi (a), SVSATIVM nostrum elogio loci rebus Seculi opulent, populo pleni, longe lateque circumpositis Saxonum gentibus, nikelonius provinciarum populis notissimi, maectatur. Celebritatem denique & vetustatem SVSATI ex hoc pariter colligere licet, quod Henricus I Auceps, Germania Rex, eiusque filius & suc-

(t) In Annal. Phrisic. L. III.

(u) In Annal. Clivie, Iulia, Montium Erc. p. 94. coll. p. 238. not. (i) edit.

(x) In Histor. Westphal. p. 324. Conf.

GELENIVM de magnitud. Vrb. Colon. p. 278.

(y) In Varlar. Observat. Forens. Suppl. Append. II. p. 21. sq. & 24. sqq.

(z) C. XIX. in LEIBNITII Scriptor. rer. Brunsv. T. I. p. 177.

(a) Apud LEIBNITIVM, I. mod. c. T. I. p. 292.

successor Otto I. Imp. urbem hanc saepius frequenterunt (b), quod & sequentes Imperatores nonnunquam fecerunt, Palatio Regio, quod Reverendissimus Abbas GOTTWICENSIS in aureo suo opere omisit, in civitate extante, cuius locus adhuc superest, sequentibus temporibus in Hospitale Virginum ex ordine civium secundario conversus.

Non sola autem vetustate nominis sui famam sibi conciliavit SOSATIA sed & opulentia, potentia, mercioniis, & rerum praeclare gestarum gloria. Huc facit, quod olim in numero civitatum Hanseaticarum extiterit, omniumque privilegiorum, quibus Hansa Teutonica, beneficio Regum Angliae, Daniae, Norvagiae, Sueciae, aliorumque gaudebat, particeps facta fuerit, qua de re testes extant insignis numerus privilegiorum Hansae Teutonicae olim concessorum, qua hodiendum adhuc in Archivo Susatensi asservantur. Facile exinde patet, Cel. ARPIVM (c) nimis precipitanter, inque SVSATVM iusto iniquius scribere: *Sufatum autem ignorabat hyperboreos advenas, civitas campestris, in media regione sita, que nec proram nec puppin navium unquam viderat: Saxonum colonia, mercibus destituta, cuius civibus nec timor, nec cupido, leves somnos auferebat, ut Lubecensibus.* Quid enim privilegio WILHELMI ROM. REGIS de Sufatibus naufragium passis in terra Hollandica, dato A. C. 1252. (d), opus fuisset, si cives SOSATIÆ rei nauticæ plane exper-

(b) Vid. SCHATENIVM, in An-
nal. Paderborn. T. I. p. 266. & OT-
TONIS I. Reg. Privilegium Da-
rum villa Herobusen V. Idus Iunii
a. d. 952. indicit. V. regni Ottonis a.
XXVII. ACTVM IN SVOSAZ,
quod extat in SCHATENIA h[ab]et.

T. I. p. 309. & in LÜNIGII Spi-
cil. Ecclesiast. P. III. p. 79.

(c) In Feris astiv. p. 283.

(d) Meminit eius III. LVDOLEVS,
in Varian. Obseru. Forum. Supplam.
App. II. p. m. 261.

expertes & incurii extitissent. Satis abunde ex hoc ipso probari potest, *Susatenenses* his temporibus mari se commisissé, quo & proprias & aliorum merces ad exterias deveherent oras.

Nec ignotum *Lubecensibus* his temporibus erat SVSATVM, quin imo discordias inter has civitates, Sec. XIII. circa medium vergente, intercessisse, liquet ex restituta inter utramque civitatem A.C. 1241. concordia, cuius compositionis testimonium, *Susatenibus* a *Lubecensibus* datum, ignotum hucusque & ineditum, sed fausto fidere in manus nostras delatum, hic inferre, Lectoribus meis dubio procul res erit quam gratissima. Hunc autem in modum sonat: *Aduocatus. consilium & commune Lubicensis civitatis. omnibus hanc paginam intuentibus in perpetuum. Tam futuris quam presentibus prefens scriptum cernentibus innotescat. quod discordia que uertebatur inter burgenses Susacenses & burgenses de Lubeke taliter proborum & discretorum virorum prouido mediante consilio ad bonum pacis & compositionis. ad meram & stabilem concordiam est reuocata. quod inter ipsis ex utraque parte debet pristina & antiqua amicitia integraliter per omnia conservari. ita quod burgenses Lubicenses burgenses de Susato in omnibus benigne ac fauorabiliter sicut antea fecerunt promoueant. & quod burgenses Susacenses burgenses de Lubeke in omnibus tam benigne & affectuose sicut antea fecerunt promoueant vice uersa. ut autem huius compositionis stabilita concordia rata & incontraua inuolabiliter obseruetur. presentem paginam ipsis in huius facti testimonium sigilli nostri munimine roboramus. Acta sunt hec in Lubeke. anno dominice incarnationis M^o. CC^o XL^o in vigilia pentecostes.*

Appenium est sigillum magnum civitatis Lubecensis.

SVSATM

SVSATVM denique & rerum gestarum gloria sat celebre olim fuisse, vel solum atrocissimum bellum comprobat, quod SVSATENSES circa medium Seculi XV. cum THEODORICO MOERSANO, Archiepiscopo Colonensi, a quo durius habebantur contra pacta, gesserunt, quo factum, ut SVSATVM ab obsequio Colonensis Archipræfusis desciverit, opemque Ducis Clivensis imploraverit. Aegre equidem ferebat THEODORICVM, urbem & magnam & opulentam e manibus dimittere suis, hinc eam arcta premebat obfidione; verum fortiter se defendebant cives, & Archiepiscopus, tandem repulsus, pacem inire cogebatur (e), urbe in potestate Ducis Cliven sis relicta (f), cum quo, pro conservandis suis antiquis iuribus & privilegiis A. C. 1444., pacta inierunt, a subsequentibus Cliviae Ducibus saepius repetita (g). Extincta A. C. 1609., morte Wilhelmi, Iuliaci, Cliviae, Montiumque Ducis & rel., veterum Cliven sium Ducum profapia, SVSATVM nostrum cum Clivia Ducatu, Marcano & Ravensbergico Comitatibus

in

(e) Cf. hic Rerum inter Theodoricum Moersum, AEpum Colonensem & Rempublicam Sufatensem gestarum Adversaria, in Ill. Dn. DE WESTPHAL Monum. inedit. T. III. n. XXXIV. col. 122s. sqq. Prolixius adhuc hoc bellum, quod ab a. 1437. usque ad a. 1447. duravit, enarrat vulgo sic dicta *Soeffliche Fehde*, carmine herico dialecti Saxonia inferioris conscripta, adhucdum in MS. lateris, quod cum Deo & die vel integrum, vel excerptum dabitur.

(f) V. Tabulas Pacis inter AEp. Colon. & Ducem Clivensem, in Codice Di-

plomat. ab Ill. DITHMARO An-
nal. Clivensi. TESCHENMA-
CHERI subiunctio, n. LXXXIV.
p. 88. sqq.

(g) Horum vulgo sic dictorum *Pacto-*
rum Ducalium nonnulla vulgavit e-
quidem ILLESTOR in *seinen auserle-
nen kleinen Schriften*, T. II. p. 328. sqq.
sed vitiosa ill. Viro obtigisse apogra-
pha, in quibus sensus & verba haut
raro corrupta sunt, intelligimus ex
his ipsis *Pacis ducalibus*, quorum
authentica copia penes nos est, quam
proinde ad calcem proliziariis nostra
in Statuta Sufatensis Commentatio-
nis typis exscribendam curabimus.

B

in potestatem Serenissimae Domus Eleitoralis Brandenburgicæ devenit, cum qua iterum Sufattenses, pro conservatione iurium suorum varia inierunt pacta, annis nimirum 1663. 65. 66. 80. 86. 88. 92. 94. 97. & 1718., quæ sub nomine *Recessuum* veniunt, & maximam partem publicata sunt ab immortalium in Iurisprudentiam meritorum Viro, Ill. nempe **LUDOLFO** (h).

Pauca haec de SVSATO, eiusque antiquitate ac celebritate dicta sufficient, pleniorum huius urbis notitiam & fata luculentius exposita daturi in *prolixiori*, quem sub manibus habemus, ad *Statuta Sufattensis Commentario*. Plura interim de SVSATO qui nosse, cupit, adeat Ill. *Dominum de Westphal* (i), ubi varios *Sufatensem historiam* tradentes Scriptores allegat, quibus per spicilegium adicere possumus BRAVNIVM (k), ADRIANVM ROMANVM (l), STANGEFOLIVM (m), ZEILLERVM (n), HOEP-PINGIVM (o), KNICHENIVM (p), CLVTENIVM (q), aliasque.

In viam, de quā paululum defleximus, ut redemamus, opus est, ne nimis longa fiat hæc nostra Tractatio. Notandum itaque ante omnia erit, SVSATVM in

(h) In *Append. II. var. Observ. Forens. Suppl.* p. 44. sqq. Fragmenta quorundam horum *Recessuum* ab Ill. LUDOLFO omissorum, ipse possideo, olim publici iuris facienda.

(i) In *Præfat. T. IV. Monum. ineditor.* p. 130. 131. 132. not. (o).

(k) In *Theatro Urb. præcip. torius mundi*, L. III. n. 37. & L. IV. n. 21., ut & in *Addit.* in *Indice* voce; *Sufattensis*.

(l) In *parvo Theatro Urbium*.
(m) In *Annal. Circuli Westphal.* (Cölonie 1640. 4.) passim.
(n) In scinem *Itiner. Germaniae nov. antique*, T. I. p. 640. T. II. p. 477. item in *Topographia Westphaliae*, p. 55.

(o) In *Tr. de iure insignium*, C. VI. P. VII. n. 1129. sqq. p. 399. sqq.
(p) In *Opere politico*.
(q) In *Sufato veteri & novo*.

In media ætate cum primis Eunomia sua tantam sibi comparasse famam, ut *iura EIVS municipalia, Statuta* vocantur, in variis veteris Saxoniae urbibus autoritatem usumque sibi conciliaverint. Quod Lubecam attinet, sub initium huius opusculi ARNOLDI LVBECKENSIS locum hoc facientem excerptimus. *Hamburgensum* Statuta pariter ex *Iure Sufattensi*, ceu fonte limpidissimo, promanasse, patet ex particula Diplomatici ADOLPHI III. *Holsatiae Comitis, a LAMBECIO (r) servata*, in qua leguntur verba: *& in pascuis & in lignis ad comburendum libertate gaudebunt, quam constat eos retroactis temporibus posseditisse: & in reliquis IVRE fruantur SVSATENSIVM & Lubecensium.* CORBACVM porro, ATTENDORNIA, Ducatus Westphalici oppidum, MINDAM, LIPPIAMque *iura* sua *municipalia* ad normam STATUTORVM SVSATENSIVM accepisse, probatum dedit saepius laudatus Dominus DE WESTPHAL (s).

Quod Corbacum in specie attinet, non possumus non, quin literas HENRICI, *Comitis Waldeccensis*, atque Oppidi Corbaciensis, quantum scimus, adhuc ineditas, inque supellecitile nostra libaria obvias, in lucem proferamus, cum ex iis non modo maior concilietur fides dictis τα πνευ SCHVRZFLEISCHII in *Analectis diplomaticis* (t), verum etiam exinde apparet, quantæ autoritatis hoc tempore fuerint Scabini *Sufattenses*, ad quos, ceu iuris promos condos, aliæ civitates, quæ ius suum municipale a SVSATO obtinuerant, causas ancipites devolvebant, responsum-

B 2

que

(r) In Origg. Hamburg. L. I. p. 101. (s) In Illustriss. ac Excellentiss. Domini DE SENCKENBERG Ss-

(t) In Prefat. T. IV. Monum. inedit. p. 130. not. (o)

lettis Iuris & Hiflor., T. III. p. 427.

que petebant. Harum literarum tenor hic est : *H. Dei gratia comes de Waldeke una cum consulibus & tota universitate opidanorum in Corbice. viris discretis & honore dignis consulibus in Susato plenitudinem omnis boni cum salute. CVM EX ANTIQVO ET A PRIMEVA CONSTITUTIONE CIVITATIS NOSTRE CORBICENSIS PRO IURIBVS NOSTRIS AD VOS ET AD IURA VESTRE CIVITATIS RECVRRE RE CONSVERVERIMVS.* discretionem vestram commendabilem duximus obnixius exorandam. quatenus nobis de quodam casu IUS VESTRE CIVITATIS. sicut eo in civitate vestra uti consuevistis literis vestris rescribatis. qui casus talis est. vir unus ledat & percutiat alium virum. quod ex eo moriatur. & lefor seu percussor eo facto profugus. quod dicitur vorvliüchtig. discedat. postea quoque idem percussor seu lefor proscribitur. quod dicitur werde - - - si iudex ratione iudicii in bonis puerorum & uxoris legitime predicti leforis seu percussoris ius aliquod consequatur. petimus etiam instantissime. quatenus nos amplius & semper in iuribus. pro quibus vobis literas nostras miserimus. sicut consuevistis benivole velitis expedire. Hoc erga vos in omnibus quibus possumus volumus promereri. scientes dubio procul omni quod in iuribus vestre civitatis. sicut ipsa nobis rescriperitis. semper esse volumus contenti. Sicut in his literis sub sigillis nostris protestanur evidenter. super his etiam voluntatem vestram nobis petimus rescribi. datum anno domini M^oCCC^o nono. feria sexta post Valentini.

(Sigillum
Comitis.)

(Sigillum
civitatis.)

Iura

Iura Sufatensis fontem esse & *Lubecensium* & *Hamburgensium Statutorum* hucusque asseruimus, quæ veritas autem variis eruditis, quos inter ill. NETTELBLADTIVM (u), ARPIVM (x), & RICHEIVM (y) nominasse sufficiat, non ad palatum est, hinc multa contra hanc sententiam obmovent dubia, ad quæ in prolixioribus nostris ad *Statuta Sufatensis Commentariis*, ea, quæ eruditos decet, modestia respondebimus. Receptam cæterum ac multorum eruditissimorum virorum calculo probatam opinionem de *Iure Sufatensi* fonte *Lubecensium* & *Hamburgensium Statutorum* nuper defenderunt *Consultissimus RICCIVS* (z), & maiori adhuc adparatu *Illustriſſ. DE WESTPHAL* (a).

Provocat horum posterior, cum MEIBOMIO (b), LANGIO (c), SCHÜTTIO (d), HEINECCIO (e), CHRIST. GOTTFR. HOFFMANNO (f), & KEMMERICHIO (g), pro stabilienda sua sententia, cum primis ad insignem *iuris utriusque*, cum *Sufatensis*, tum *Lubecensis*, concentum in variis argumentis, v. c. communionis bonorum, debitorum coniugalium, di-

B 3 stribu-

- (u) In *Disp. de Fontibus Iuris Lubecensis*, ubi *Ius Lubecense*, e *Iure Suegothico*, tanquam fonte, derivare, multo allaborat studio, sed vide quæ contra hanc sententiam monet B. HEINECCIVS in *Hist. Iuris*, L II. c. 3. §. 88. p. 88. not. (*)
- (x) In *Feris aſtrū*. p. 283.
- (y) In *Hist. Statut. Hamburg.* C. II. §. 17. 199. p. 53. 199.
- (z) Im *Entwurf von Stadtgesetzen*, L. I. c. 5. §. 1. p. 83. 199. not. (*****)
- (a) In *Proſtat. T. IV. M. num.* ined. p. 121. not. (c)
- (b) In *Introd. ad Hist. infér. Saxón.* p. 88.
- (c) In *Introd. in Norit. LL. nauticar.* p. 64.
- (d) In *Disp. de Iure Sufatensi*, eiusque & *iuris civilis* collatione in successione ab intestato, §. IX. sq. p. 12. sqq.
- (e) In *Elementis Iuris German.*, L. I. Tir. VIII. §. 107. not. * p. m. 129.
- (f) In *Progr. de Iuris Lubecensis antiquo quodam Codice*.
- (g) In *Progr. subiuncto Disp. inaug.* D. HIER. NIC. GERCKENII de *Iure Hagenstolzianus*.

stributionis donorum nuptialium, exclusionis filiorum separatorum ab hereditate paterna, pœnæ fractæ pacis domesticæ, alijsque, quæ in utroque iure consonantia reperiuntur. Præter rem itaque contendit Cel. RICHEIVS (h), *vetus ius municipale Susattensium*, quod hodie supereft, si cum antiquis Lubecensiū Statutis conferatur, ita discrepare, vt nullis ferre vestigiis facta olim communicatio agnoscatur; cum contrarium huius rei, intuentibus vel sola utriusque civitatis Statuta, qualia hucusque typis exscripta sunt, illlico manifestum fiet. Adhaec probe monet *Excel lentiss. Dominus de WESTPHAL* (i), plura de *Susattensium* Saxonum antiquis moribus, consuetudinibus & legibus cum *Lubecensisibus* communicatis obser vari posse, cum occasio fuerit facta, antiquissimum *Legum Susattensium* volumen plicatile, latine in membranis scriptum, inspiciendi, cum quo dein pariter sole antiquissimæ *Leges Lubecenses*, A. 1154. conscriptæ, conferri debent, quippe his, subsequis demum temporibus, crescente *Lubecensem*, per commercia maritima, fortuna, variae novæ *Leges*, cum *civiles*, tum *maritimæ*, accesserunt.

Priusquam de venerando hoc vetustatis monumento, *Statutis nempe Susattensibus Latinis*, in mem brana plicatili scriptis, eorumque forma atque ætate, quædam in medium proferamus; iuvat, pauca de *Statutis SVSATI*, dialeto Saxonica inferiori exaratis, eorumque editionibus præfari. Notissima illa sunt sub nomine *SCHRÆARVM SVSATTENSIVM*, der *Soester Schraen*, in cuius vocis etymologiam data opera excurr-

(h) l. s̄epius c. p. 36.

(i) In Pref. T. IV. Monum. ined. p. 131, not. (o).

excurrere, non huius loci est, prolixiori nostro in *Statuta Sufattenia Commentario* haec reservantes. Si quis vero nostram de etymo vocis SCHRÆ sententiam nosse, cupit, illum ad *Ill. Dn. DE WESTPHAL* (k) ablegamus, cuius nimirum vocis SCHRÆ derivatio ab antiquo theotisco *skraan*, *shraæ* scribere, in tabulas patentes aliquid referre, Gothice *scrifva*, nobis maxime arridet & quæ inter omnes huius vocis etymologias minime coacta nobis videtur, reiicientes itaque *Consultissimi SCHÜTTII* (l), *Ill. LVDOLFI* (m) & *Cel. ARPII* (n) coniecturas, quorum illi hanc vocem, a vocabulo *Schrannen*, quod *locum Iudicii* denotat, hic a *clamore*, *schreyen*, quod Statuta applaudente populo facta sunt, derivant.

Duplex cæteroquin est SCHRÆA SVSATENSIS dialeto Saxonia inferioris conscripta: altera *vetus*, altera *nova*. *Illam* sive *veterem Seculo iam XII.* literis consignatam esse, eique, labente tempore, subinde aliiquid accessisse, tradunt equidem *LVDOLFVS* (o) & *RICCVS* (p), sed magis placet sententia *Illustriſſ. Domini DE WESTPHAL* (q), illam demum ad Sec.

XIII.

- (k) In *Praefat. Tomi III. Monum. inedit.* p. 4. sq. not. ii), quo cum conferri meretur elegansissima *Ill. 10. CAR. HENR. DREYERI*, Viri ad illuſtranda Germanica Iurati & facti, *observatio*, cuius mentionem faciunt *Hamburgische Berichte von gelehrten Sachen* ad a. 1742. n. XV. p. 114. Adde *WACHTERI* *Glossar. german.* col. 1446. voce: *Schreiben*.
- (l) In *Dib. not. (d). cit. c. I. §. VII.* p. 10. Jqq.
- (m) In *Tom. III. variar. Observat. Förs.* Obf. CCXLII. p. m. 428. not. i*) cf. *SCHILTERI* *Glos-*
- ſarium Teutonicum, in *EIVSDEM Theſaur. Antiquit. Teuton.* T. III. p. 724. b. voce: *Scrammon*, & p. 720. a. voce *Schrannen*, add. *WACHTERVM*, l. c. col. 1283. sq. voce: *Scharren*.
- (n) In *Föris affiv.* §. 127. p. 323.
- (o) In *Collectione quorundam Statutorum Provinciarum & Virium Germanie*, subiuncta *EIVSDEM Tomo III. Observat. Föres.* p. 792.
- (p) In *Entwurf von Städtegezen*, p. 181.
- (q) In *Praefat. T. III. Monum. ined.* p. s. not. ii) & T. IV. p. 132. not. (o)

XIII. vel XIV. referentis, qui etiam primus eam, *articulos CLXXVI.* complexam, publica luci exposuit(r). Hunc Statutorum *Sufatensem* Codicem in membrana scriptum esse, testis est Ill. LVDOLFVS I. modo c., qui *ibidem* enarrat, illum Sec. XVI., culpa *Secretarii civitatis Sufatiae*, M. GASPARIS VON DER BORG, evanuisse, id quod seditioni civium occasionem subministraverit. Fidem his dictis faciunt sequentes versus e *Libello rhythmis germanicis conscripto*, & A. 1534. sub nomine DANIELIS A SOIST in vulgus edito, deponiti (s):

*De Schrae wel wy weten der Börger Recht,
Verklagen Meſter Jasper, Stadtdeiner und Knecht,
Dat he uns hefft vorenthalend manche tydt
De Börger privilegia und plebis eydt. &c.*

SCHRAEAM RECENTIOREM, ad Seculum XV. & XVI. referendam, pacata *civium Sufatensem*, de qua modo diximus, seditione, in ordinem redactam, & CXXX. *articulis* constantem, primus in lucem emisit B. LVDOLFVS (t), quam postea, cum yetustis, qua *Sufati* asservantur, exemplis collatam, ac *Forma Processus Iudiciorum Sufatensis*, ut & *Sententiis quibusdam Iudicij Vekmici* auctam, iterum evulgavit Ill. Dn. DE WESTPHAL (u). Hanc utriusque SCHRAEÆ editionem Westphalianam desumtam esse ex *Apographo iuris municipalis Sufatensis*, quod olim possedit immortalis HEINECCIVS (x), vel ea propter facile nobis persuademus, quod editio SCHRAE-

ARVM

(r) T. IV. Monum. ineditior. col. 3063.-

3081.

p. 792-810.

(s) Vid. SCHÜTTII Dis. cit. c. I.

(u) T. IV. Monument. inedit. col. 3081.-

3106.

§. VIII. p. II.

(x) In Historia Iuris, L. II. c. III. §.

(t) In Collectione Statutor. not. (l) cit.

87. not. (*) p. 81. sq.

sq.

ARVM apud Ill. WESTPHALIVM per omnia fere concordat cum brevi notitia, quam HEINECCIVS l.c. de suo *Apographo* dedit. Denique hoc unicum adiuvare liceat, nobis hoc felicitatis obtigisse, utramque & Ludolfinam & Westphalianam editionem cum optimæ notæ Codice MS. Chartaceo conferendi, nonnullasque variantes Lectiones, quamvis parcas, colligendi, quas olim eruditio orbi non invidebimus.

Hac de Statutis Sufatensibus, SCHRAEARMV nomine insignibus & dialeto Saxonica inferiori exaratis, dixisse, sufficiat. Supereft, vt de iure municipalis SATIÆ Latino, venerando canæ vetustatis cimelio, quod SCHRAEÆ appellatione nunquam venit, quædam in medium afferamus. Brevitatis studio omittimus, summos Viros, maxima ex parte in hac scriptione iamiam nominatos, iterum allegare, qui in suis abs me citatis Scriptis horum Statutorum mentionem fecerunt, de illisque aliquid notatu dignum protulerunt. Sufficit provocare solummodo ad Ill. LVDOLFVM, & Excellentiss. Dn. DE WESTPHAL. Ille de his Statutis sequentia tradit (y) : Was nun das aller-älteste weiterühmte Soestische Recht gewesen, kan man mit aller Gewissheit nicht sagen ; So viel aber ist die Nachricht, daß ein auf Pergament in Lateinischer Sprache in forma patente gemachte Beschreibung des Rechten bey der Stadt (Soest) vorhanden, und soll folcher Brief über zwey Eblen lang und breit seyn. HIC de Iure SVSATI nostri municipali latino scribit (z) : Præcipue antiquissima Sufatensium Statuta Sec. XII. in scripturam redacta, luculentam prætulerunt inscriptio-

C nem

(y) In Collect. quorundam Statutor. &c., (z) In Prefat. T. III. Monum. ined.
l. c. p. 791. p. s. not. ii)

nem SOESTER SCHRAE (a), quarum Legum vestissimum exemplum Sec. XI. vel XII. in membrana patente, seu formula rotuli latine scriptum, quod quidem longitudinem latitudinemque duarum ulnarum egreditur, hodieque in curia adseratur, & instar foliorum Sibyllarum reconditur, qua ratione vel quo saltem consilio definire nolo. ALIBI autem (b) hunc in modum de his cimeliis fatur: Forte tamen plura de Susatensis Saxorum antiquis moribus, conjectudinibus & legibus cum Lubecensibus communicatis observaverit, cui data fuerit occasio, inspiciendi antiquissimum Legum Susatensis volumen plicatile, latine scriptum in membranis, duabus ulnis in longitudinem latitudinemque protensis, qua hodieque in curia Susatensi adserantur instar carminis sibyllici, adeo ut vel ex superstitione antiquitatis cultu, forte etiam eius odio, vel ex infirmitate rerum, metueque inde oriundo, vel ex invidia potentibus denegetur barum legum lectio, quamvis innocua, in nullius praeiudicium, saltem in usum dogmaticum, & in emolumentum iurisprudentiae Germanicæ, Susatensis & Lubecanæ vergens præcipue. Quæ Vir Excellensissimus e RADEMACHERI Collectaneis rerum Susatensis MSS., cum B. LVDOLFO olim communicatis & ab hoc Observationibus suis Forensibus, l. c., insertis, mox subiungit, non tam ad vetus Statuta Susattensis latina, sed potius ad antiquam Schræam germanicam spectant.

Nefcio

(a) Hac in re summum virum humani aliquid paucum esse, vel volum docet horum Statutorum Apographum, quod iam in lucem emit-

timus.
(b) In Prefat. T. IV. Monum. inedit. p. 131. not. (c).

Nescio itaque, qua ratione *Consultissimo RIC-*
CIO (c), Fautor nostro ex alma Georgia Augusta
perquam colendo, in mentem venire potuerit, ad-
struendi, *vetusta hæc Statuta Susatensium Latina* tempo-
ris iniuria interiisse, cum tot tantorumque Virorum te-
stimonia, de hodienum adhuc durante existentia, adsint.
Supersunt adhuc hæc Cimelia gemmis auroque pre-
tiosiora, & qui diu delituerat thesaurus, rei literariae,
cum primis Iurisprudentiae Germanicae, incremento &
adiumento, omnium iam exhibetur conspectui. Diu de-
sideratum, multisque expetitum votis fuit hoc vene-
randum vetustatis monumentum, sed plurimis videba-
tur, pia tantummodo hæc esse desideria, atque insupe-
rables obstat difficultates, quo minus hæc gaza pu-
blicæ exponatur luci. Ceder itaque, quod quam per-
suassimum nobis habemus, alma nostræ *Iuliæ Carolineæ*
immortali gloriae atque honori, quod in eadem super-
stites antiquissimi *Iuris municipalis Germanici Reliquiæ*,
sacro cultu a Iustitiæ Sacerdotibus merito deveneran-
dæ, superato carceris, quo diu detentæ fuerant, squa-
lore, luci tradantur. Novum exinde accedet honoris
meritorumque fastigium *Iuliæ Carolineæ*, cui a prima
sua origine Respublica literaria iam plura, fere innu-
mera, gratissima mente debet beneficia, in omnia sci-
entiarum genera largissime promanata. Et sane nobis
met ipsis gratulamur, quod post REINECCIOS, MEI-
BOMIOS, CONRINGIOS, ECCARDOS, HAHNIOS,
LEYSEROS, quorum vigiliis eruditus orbis multa e
tenebris eruta hodienum accepta refert, (ut alios, qui
aliud scientiarum genus a nostro diversum ore & scrip-
tis professi sunt, silentio premamus,) quod, inquam,

C 2

ipſi

(c) In Entwurf von Stadtrecht, p. m. ss. not. (****)

ipſi hoc felicitatis načti ſimus, ut, edendo & illu-
ſtrando hoc canæ antiquitatis monumento, publice
docere poſſimus, nos non indignum tantorum Nomi-
num in muniis, quæ exornarunt, eſſe ſuccellorem,
nec Helmſtadienſes ~~conſequens~~ laborare, ut nuper phre-
neticus quidam ſomniavit.

Adhuc aliquantulum Leſtores noſtros fuſpenſos
tenere, oportet. Monendi nimirum ſunt, horum
Statutorum Sufatenſium Latinorum, aequæ ac SCHRAE-
ARVM, duplex in curia Sufatensi recondi *volumen pli-
catile* in membrana manu exaratum. Alterum quod
mox luculentius deſcribemus, integrumque ſubiicie-
muſ, omnia ſummae vetuſtatis & authentiae criteria
præ ſe fert. Alterum videtur ſcriptum ſub medium
Sec. XIII., in membrana, longitudinem unius & $\frac{1}{3}$ ul-
narum, latitudinem vero unius ulnae exaequanti, in-
que forma patenti, charactere literarum valde legibi-
li, illique perſimili, qui in WALTHERI *Lexic. Di-
plomat. P. II. Tab. XIII. n. 1.* confſpicitur. Literæ
ipſæ, quorum ſcriptura, quatuor & quinquaginta li-
neis conſtaſt, modo I. & $\frac{1}{3}$. ulna in membrana con-
ficit, eam magnitudinem & craffitatem non attingunt,
quæ cernuntur in antiquiori horum *Statutorum volu-
mine plicatili*. Atramento exaratum eſt paululum pal-
lidiori. Abbreviatura frequentes occurſunt. Mu-
ltæ oblitterata ſunt, quæ olim in prolixiori ad hæc *Statu-
ta Commentario* indicabimus. Et quod caput rei eſt:
omittit hoc *exemplum recentius* nonnulla, aliaque e
contra ſubſtituit, quæ *vetuſtius volumen* vel memorat,
vel ignorat, quæ diſcrepanțiae facile pateſtent, ſi olim
& huius *Iuris municipalis Sufatenſis latini* apographum
cum eruditis communicabimus.

Quod

Quod antiquius horum Statutorum *exemplum* attinet, illud pariter in membrana, formaque patenti scriptum est. *Longitudo* I⁵ ulnæ, *latitudo* vero unam ulnam exæquat. Lineæ numerantur sexaginta sex, quæ spatium I⁵ ulnæ in longitudine implent. Scriptura ad minimum initia Sec. XII. sapis, nisi eam ad finem antecedentis Seculi referre mavis. Literæ cernuntur legibiles, maiores paululum & crassiores, sub finem vero minori charæctere efformatae, tamque bono perscriptæ atramento, ut illud atrorem suum, post tot Seculorum delapsum, integrum adhuc servaverit. Scribendi compendia in hoc exemplo rariora occurunt. Veneranda porro huius exempli antiquitas & ex hoc facile apparet, quod in eius initio inter tria, quæ *Susati* olim fuerunt, iudicia *Archiepiscopi Coloniensis* nulla mentio fiat, cum e contra in *volumine* horum Statutorum *recentiori* disertis verbis *Coloniensis Archipræfus* inter eos memoretur, qui in *urbe Susatensi* iudicio gaudent. Certo, ex nostra sententia, indicio, *vetustius exemplum* illo iam tempore fuisse conscriptum, quo *Coloniensi Archiepiscopo* nulla adhuc in civitate *Susati* competi*t* iurisdictio, quam demum, post exauctorationem *Henrici Leonis*, *Saxoniae & Bavariae Ducis*, *Cathedralis Coloniensis Ecclesia*, cui *Divus Fridericus I. Imp.* *Angaricum & Westphalicum* Ducatus dono dederat, obtinuit. Hinc ratio apparet, cur in *recentiori* huius iuris municipalis *exemplo* loco *Advocati*, quem *vetustior membrana* prædicat, nomen legatur *Archiepiscopi Coloniensis*. Quod reliquum est, hoc *volumen plicatile antiquius* tanta fide, tantaque accurate*n*e est descriptum, ut in *apographo*, neque in orthographia, neque in interpunctione,

neque in literis, aliquid sit immutatum. Solas abbreviaturas, necessitate ira ferente, quod nostra typographia iis instructa haut sunt, negleximus, omniaque vocabula integra exscribenda curavimus. Quo denique patescat, quot quibusve verbis singulæ lineæ abfolvantur, sub initium singularum *Originalis* linearum asterisci (*) in ipso contextu, nonnunquam mediis in vocabulis, adiecti sunt, iis, cum numero unius cuiusvis lineæ, in margine repetitis.

Cum hæc antiquissima urbis Sufatensis Statuta latina in manus nostras incidenter, primum nobis animus erat, ea, una cum *Statutis Sufatensium germanicis, SCHRÆARVM nomine insignibus, præmissa de SVSATO tractatione, & subiuncto prolixiori in hoc Ius municipale, cum antiquius, tum recentius, Commentario in lucem edendi*. Omnen nostrum laborem in quinque Capita dispergit sumus. Primo Capite trademus breven *Vrbis Sufatensis Historiam, Scriptoribus fide dignis & diplomatis, partim iam editis, partim adhuc ineditis, innixam, addita Notitia Status huius vetustissimæ Civitatis politici, tam antiqui, quam hodierni*. Tum in Capite secundo agemus: de origine Statutorum Sufatensium, & vetustiorum & recentiorum, corumque auctoritate cum primis in Germania inferiori, qua occasione non modo nonnulla de etymo vocis SCHRÆ interspergenda erunt, sed etiam data opera probatum dabitur, *Ius Sufatense vetustissimum fontem esse Lubecensis*. Caput tertium exhibebit Statuta Sosatiæ ipsa cum utraque latina, tum utraque idiomate Saxonice inferioris conscripta, hæc cum versione dialecti Germaniae superioris, & subnotatis variantibus Lectionibus ab Ludolfina & Westphaliana editionibus, additis insuper tam

tam *Forma Processus Iudicarii Susatiensis*, quam *Sententiis quibusdam Iudicij Vehmici*, ab *Excellentiss. Domino DE WESTPHAL l. c. pariter SKRÆK* recentiori subiunctis. *Caput quartum* continebit prolixas in hæc *Statuta annotationes, iuridicas, historicas, etymologicas*, ex quibus iisdem multum lucis affusum iri, confidimus. Adhæc præcipua nostra cura in hoc Capite hac in re erit posita, ut concentus *iurium Susatiensium & Lubencium, illorumque & Iuris Civilis differentiae* sedulo indicentur. *Caput denique quintum* & ultimum ostendet *usum hodiernum* horum *Statutorum*, qui quoad nonnulla capita in *foro Susatiensi* adhuc conspicuus est. *Appendicis* loco forsitan subiungemus *Documenta* nonnulla, vel *edita*, at in Libris raro obviis extantia, vel hucusque *inedita*, dictis maiorem conciliantia fidem, ut & *elogia de Susato e rarioribus Scriptis* excerpta.

Hanc *Operis* nostri *affetti* *Sciographiam æqua trutinantibus lance* facile liquebit, multam inde utilitatem *Iuris & Antiquitatum Germanicarum Scientiæ* esse accessuram, sed facile insimul *Lectores nostri* persentient, tempore, ab aliis laboribus vacuo, opus esse, quo hæc omnia rite disposita atque ordinata in lucem prodire, adeoque *Lectorum* gratiam & favorem faciliter captare queant. Cum autem pro tempore aliis curis ac laboribus irretiti simus, pleniorem nostram *Tractationem* commodiori, sed non in longum protrahendo, temporis reservamus. Cæterum quo Eruitorum de nostro labore iudicia exploremus, simulque eorum sitim magis adhuc accendamus, placuit *Statuta Susatiensia Latina*, eaque *vetusissima*, hoc Opusculo in lucem protrudere, iisque *Specimen nostrarum*

strarum in ea Annotationum subiungere. En! bene-
vole Lector, STATUTA ipsa lege:

- * 1. * Audiat uniuersitas antiquam et electam susattensis Oppidi iusticiam. Cum tria sint oppidi susattensis iudicia. prepositi. Aduocati. et Schultethi. Prepositus
- * 2. susattensis de iure * debet facere denunciari synodum. tribus uicibus in anno. quamlibet sex Septimanis ante. cui inter esse tenentur omnes qui domestici sunt intra
- * 3. oppidum. dum modo sint domi. Synodus uero * sine cauillatione est tenenda. Quemcumque scabium bur- genses statuerint. ipsum prepositus acceptabit. Causa que coram preposito mota fuerit. et terminata. uel per
- * 4. iusticiam. uel per misericordiam. ab alio iudice * retrahenda non est. Aduocatus Susattensis de iure tribus ui- cibus in anno. iudicio suo presidebit. et hoc certis tem- poribus. uidelicet. secunda feria. et III. post octauam epi- phanie. Item II. feria. et III. post quasi modo geniti*. Item. II. et III. feria post Nativitatem sancte marie. Presidebit autem pie. et absque cauillatione. Si forte aliquis defuerit. vel nimis tarde uenerit. Unum lot- scillinc uadiabit. Quicumque etiam ibi insolens fuerit.
- * 6. sex solidos uadiabit in gratia. Quemcumque etiam preconem burgenes statuerint. illum aduocatus accepta- bit. Presidebit autem aduocatus. sine petione. et omni cauillatione. quia archiepiscopus de curiis suis. quatuor
- * 7. marcis. qualibet uice * aduocato administrabit. Preter- ea iuris aduocati est. hereditatem accipere frisonum et gallorum. Siquis ferro acuto. quempiam uulnerauerit. manu priuabitur. quod ad iudicium aduocati respicit. si
- * 8. infra oppidum contigerit. * Siquis infra murum homi- nem occiderit. capite truncabitur. Causa que coram ad- uocato. uel schultetho. iuste uel amicabiliter decisa fue- rit.

rit. rata esse debet et firma. Si quis contra hoc ueniens conciuem * suum ad alienum sive grauius iudicium traxerit. decem marcas burgenibus componet. et insuper carratam uini. Si quis ferro acuto quempiam uulnerauerit. duobus testibus rationabilibus conuinci potest. quam reus * poterit se excusare. Si quis est de homicidio pulsatus. Septima manu tactis reliquiis conuinci potest. Si quis uero de homicidio. uel de acuti ferri lesione conuinci nequiverit. tactis reliquiis. duodeci^ma manu se expurgabit. Quod si ille qui maleficium perpetrauit. au- fuderit. domus eius. et quicquid habet. secundum nostri iurisdictionis destruetur. et ipse proscriptetur. quod uulgo. frethelos * dicitur. Si uero factum negare uoluerit. duo probabiles uiri si adsunt. cogentur testimonium ueritati perhibere. et sic non admittetur rei expurgatio. Si autem predo. sive latro. uel * quacumque facinorosus muros. oppidi intrauerit. pacem firmam habebit. nisi quis eum auctoritate iudicii conueniat. et conuictum puniri faciat. Auctor uero. si inuento reo. copiam preconis habere nequiterit. detinere reum licebit. et proclamando suam causam manifestare. Si aliquis infra muros oppidi. pacem uiolauerit. et sanguinem effuderit. et conuictus * fuerit. sexaginta uadiabit solidos. uel penam statutam sustinebit. et quicquid burgenses de illis solidis decreuerint accipiendum. iudicium terciam partem habebit. Si quis con**ciui* suo infidias tetenderit. uel ui domum ipsius appicerit. et conuictus fuerit. decem marcas et carratam uini uadiabit. Qui intempeste noctis silentio domum cuiusquam intrauerit. et bona ipsius. *17. mortuam. uel ui sibi uendicauerit. et conuictus fuerit. morte punitur. Omnis causa infra bannum nostrum. quam uel mors punit. uel detrun**cationem* membra me- *18.

D

retur.

- retur. ad iudicium pertinet aduocati. nisi prius fuerit
proclamatum ad iudicium rurenſis gograuii. Quicumque
conciatis ſui filiam. aut fororem. aut proximam
 *19. ipsius consanguineam. quam ille in ſua procuratione ho-
neſte ſeruauit. et ante ſuam dominam eccleſiam uiftare
ſolebat. de domo uel tutela illius abduxerit. tenebitur eam
 20. tamquam legitimam ſeruare. uel cum amicis puelle
amicabiliter componere. Poteſt clericus. aut mulier.
quelibet mobilia. uel bona. uel donationes. uel caduca.
 *21. que Ratba dicuntur. in iudicio petere. ſine procuratore.
ſed ſi interſunt mancipia. uel preedium fundale. quod
uulgo dicitur Torſhabit egen. ſine procuratore agere non
poteſt. In contraſtu matrimonii. uel etiam poſt contra-
 22. etum. quamcumque donationem uir mulieri. aut mu-
lier uiro ſub teſtimonio bonorum uirorum dederit. ſi duorū
bone opinionis uirorum teſtimonio probare poterit.
 *23. ſuper eo amplius in cauſam trahi non ualebit. Item
conſtitutum eſt. quod ſi conciues noſtri extra prouinciam
inter ſe diſſenſerint. non ſe ad extranea trahant iudicia.
 *24. aut uel inter ſe litem componant. uel ſi tot ſunt * per-
ſone. iudicem unum de confociis iudicem ſtatuant. qui
litem ſi poteſt ſopiat. ſi non poteſt. cauſam donec ad pro-
pria redeant. diſſerant. hoc conſtitutum ſi quis infrege-
 25. rit. X. marcas et carratam uini uadiabit. Item. ſi
quis conciui ſuo bona ſua ad negociandum commiſſerit.
preſentibus uiris idoneis. ſi inuiciari voluerit. conuiici
 *26. poſſit. Item. ſiquis donum ſuam uel quelibet edificia
in pignore dederit. et illa igne. uel alio caſu perierint. ſi
uolet is cuius erant edificia reſtituere alia. et hec erunt
 27. ut ante. pignus creditoris. quod ſi non uult. relinquet
creditori reliquias incendii uel ruine. et fundum pro pi-
gnore. ſic creditor nil amplius poteſt petere. Si uero
domi-

dominus fundi reliquias inuaserit. potest creditor ab eo sum^m mam expetere creditorum. Omnes aree censuales *28. infra oppidum. unius sunt iuris. Quod si aliquis dominum suam. uel aream. dare uel uendere uoluerit. biis cui datur uel uenditur.* dabit schulheto. duplum pensionis il- *29. lius. que de area illa dari solet annuatim. et sine contra dictione aream recipiet. Si autem schulhetus proponat. contra possessorem aree. quod ipsam* ab auctoritate de- *30. bita non receperit. sola manu tactis reliquis ille confir- mabit se recepisse. ab eo qui potuit et debuit porrigere. uel duplum dabit pensionis ut dictum est. et quiete* pos- *31. sidebit. dum modo pensionem annuam porrigat. (liberi uero si qui fuerint integra possessione patrum sine du- platione (d)) annue pensionis quiete persuantur.

*Quicumque de manu schulheti. uel ab eo qui au- *32. citoritatem habet. dominum uel aream. uel agros. uel man- sum. uel mansi partem receperit. et per annum. et diem legitimum qui*ete possederit. si quis in eum agere uolue- *33. rit. possessio tactis reliquis sola manu obtinebit. et sic de cetero sui marandus erit. nec amplius supra pre- dictis. grauari poterit. Si quis magister* censuum. *34. contra quempiam burensem nostrum proposuerit. quod debitum censum non dederit. et insuper censum annum augmentare temptauerit. possessio sola manu tactis reli- quis* ueritatem suam comprobabit. et sic inpetitor pos- *35. sessorem amplius non grauabit. Si quis inuentus fuerit babere pondera iniusta. uel funiculos iniustos. mensura- tiones iniustas viui et olei. hic uadiabit in domo consu- *36. lum dimidiā libram burgenibus. Huius autem uadi- monii quanta sit estimatio accipienda. in burensem sta- bit

D 2

(d) Quae in parentesi leguntur, lo- co aliorum erasorum in Orig.

MSto verborum scripta sunt. Pro duplacione lege duplacione.

- *37. bit ar*bitrio. et iudex terciam habebit partem. In iuste mensuraciones et measure corrigende. pertinent de anno na. et de ceruista. iudicibus illis qui dicuntur Bur Rib- tere. in uiculis illis qui di*cuntur. Ty. Si pistores contra debitum pacificauerint. in domo quinque solidos uadiabunt. quicquid inde accipendum burgenes decreuerint. iudex terciam partem habebit. Quicumque pro *38. * aliqua causa coram consilibus terminata. testimonium ipsorum appellauerint. uterque fideiussores pro sexaginta solidis ponet. et si quis ipsorum. burgenium testimonio *40. conuictus cecide*rit. predictos sexaginta solidos. burgen-sibus persoluet. in gratia. Quicumque in uelamenta sua ciuitatem suam renunciauerit. pro eo quod ledat *41. conciuem uel in corpore. uel in rebus. ita renunci*et. ut amplius ciuitatem non recipiat. Item statuimus. quod nemo conciuem suum de criminali conueniens. ad con-gressionem duelli. ullo modo trahere presumat. Si con-*42. ciui suo quicunque de quacumque* causa. uel de suo pro-prio arbitrio. uel presentibus duobus testibus. confessus fuerit. vel promissionem fecerit. magis conuinci potest. quam se expurgare. Quicumque pro sua uoluntate. sine *43. uerbo magistri* consulum. uel iudicis. campanas pulsa-re presumpserit. dimidiad libram burgenibus uadiabit. et hoc in arbitrio stabit burgenium quid sit accipendum. *44. tercia pars erit iudicis. Si*quis burgenis noster sine uerbo magistri consulum legationem ex parte burgenium ad aliquem comitem. uel baronem agere presumpserit. dimidiad libram burgenibus uadiabit. Omnes precones *45. in*beneficiati. burgenibus nostris in suo officio. ad ap-pellandum homines ad iudicium. burgenibus nostris sine munere debent parati esse. ita. quod si per negligen-*46. tiam preconum aliquod inde dampnam* prouenerit. ipsi plene

plene aetori pecuniam persoluent. Si quis uir. uel fe-
mina. plures habens filias nuptas. si qua super est in-
nupta. matris tollet mobilia. que uulgo Ratke uocantur.
*Si uero omnes sunt nupte. senior filia matris tollet mo- *47.
bilis. Si autem interest clericus. ipse matris tollet mo-
bilis. et nullius alterius in suo genere. Si quis consul
pro iusticia pretaxatum* munus ab aliquo accipere pre- *48.
sumperit. Sexaginta solidos uadiabit. si conuictus fuerit.
insuper a consilio non redditurus remouebitur. Quod si
predicatum uicum aliquis qui non est consul commis-
*rit. Sexaginta solidos uadiabit. et accessus ad consilium*49.
numquam ei concedetur. Siquis arguere presumit ali-
quam sentenciam in iudicio datam. ad aliud iudicium
trahere nitens. decem* marcas cum carriata uini uadia- *50.
bit burgenibus. Quicumque sentenciam iustum inver-
tere presumit a burgenibus editam. et conuictus fuerit.
dimidiā libram burgenibus uadiabit. Si quis illorum
*qui in iudicio aduocati uorspreken (e) appellantur. pre- *51.
taxatam mercedem accipere presumit et conuictus fue-
rit. dimidiā libram uadiabit. et a iudicio ut amplius
nullius uerbum loquatur. remouebitur. Statui*nius *52.
etiam firmiter obseruandum. quod si quis burgenis no-
ster pro bonis suis auferendis capiatur. nulla redemptio
pro ipso. uel ab ipso capto. uel ab aliquo ipsius cognato.
detur. quod fecerit* et conuictus fuerit. decem marcas *53.
burgenibus. et carriatam uini uadiabit. iudicium terciā
partem habebit. In arbitrio burgensium stabit. quantum sit
de decem. (preter unum. quod est commune ciuitatis (f))
marcis accipendum.* Quicumque aliquem in iudicio *54.
conuenit. de hereditate. uel de heruuadio. uel de gera-
then.

D 3

(e) Hec vox in MSto vocabulo ad. (f) Que in parenthesis leguntur su-
vocari; superscripta est. perscripta sunt.

- then. plenam ei uuarandiam. et fideiuisionem ad annum
 *55. et diem legitimum prestabit. antequam * alter responde-
 re teneatur. (g) Hanc autem Crulem iusticiam ab an-
 tiquitate inconuialam hacenus obtinuimus. ut omnes in
 opido nostro commorantes siue liberi siue ministeriales no-
 *56. bscum starent et labores nostros ad seruient dum domino
 nostro Archicpiscopo uel Imperatori nostro aequali propor-
 tione subueniunt. Itaque precones extra oppidum tra-
 nentes. licite possunt quolibet die quo forum seruatur in
 *57. Susato. Cuilibet ex parte iudicij mandare. ut * coram
 iudicio iuri pareat. Item in omnibus uigiliis et Qua-
 tuor temporibus similiter. preter in messe. Quicumque
 autem hominum se per iuramentum expurgare tenebi-
 tur. in arbitrio statit actoris utrum iuramentum acci-
 *58. pere * uelit an non. Et super eo nullum ad ipsum iudi-
 cem respectum habebit. nisi forte contingat ex aliqua
 proclamatione. Quilibet. etiam proscriptus postquam
 actori satisficerit. in quantum hoc eundem proscriptum
 *59. erga Ciuitatem confiterit. illarum expensarum due por-
 tiones Ciuitati. et tercia portio iudicio pertinebit. Et
 index receptis ab eodem proscripto denariis qui uulgo vre-
 *60. the penninge dicuntur. * ipsum paci et iuri suo resti-
 tuet absque contradictione. Quicumque uero Ciuium
 minutus fuerit. dummodo ad vicos non excire. nullus
 precomum poterit ipsum ad iudicium citare. Quicum-
 que Ciuium * se ad balneandum uestibus suis expoliauer-
 rit. si tunc citatus fuerit a precone. sequi non tenetur
 donec fuerit balneatus et exficcatus. Quicumque pisto-
 *62. rum inuentus fuerit ad pistrandum panem suum. Si
 tunc

(g) Quae inde ab hac parenthesi us-
 que ad finem sequuntur, literis
 minutioribus, & charactere pau-

lulum diverso, scripta sunt, de-
 minique post a. 1181 adiecta vi-
 dentur.

tunc citatur a precone. sequi non tenetur. antequam suum perficerit officium. Preterea quicunque ciuum res suas uenales pre manibus habuerit. si citatur a precone. in continentia sequi non tenetur. donec easdem *res locauerit ad seruandum. et tunc statim sequi tene-^{63.}
tur. Quod si forte index ipsum pro tali mora impescierit. sola manu sua se expurgabit quod cicias uenire non posset. Quod si alicui ciuum * ad estimationem. XII. de-^{64.}
nariorum sublatum fuerit. Hoc hii qui dicuntur bur-richtere in suis conuentionalibus quod uulgo thy dicitur iudicare tenentur. Similiter et prefati burrichtere ibi-
dem de debitis * sex denariorum. cuilibet iudicare te-^{65.}
nentur. Quod si forte quisquam hominum Ciuitatem Susaciensem super antiquo iure suo siue consuetudinibus ab antiquo seruatis impetrare uel inquietare uoluerit. ma-
gistris * burgensium precipue. et totum consilium. Et ^{66.}
si necesse fuerit. totum commune Ciuitatis. iura sua et consuetudines antiquas tactis sanctorum reliquiis ob-
tinebunt.

Haec Statuta Susattensis ita sunt comparata, ut fere ad singulas voces, certe ad unam quamque lineam, nonnulla observari possint, quæ eorum illustrationi inservient. Proferamus itaque quædam, ex nostris in huius Iuris municipalis initium observatim, excerpta, quæ, si non in omnibus ob temporis angustiam per-
polita sunt, ut B. L. æqui bonique habeat, observan-
tissime rogamus.

I. UNIVERSITAS.) Si in latinitate medii ævi
haec vox nude occurrit, denotat incolas urbis vel op-
pidi, cuius rei innumera ex Scriptoribus mediaæ aeta-
tatis exempla adduci possent, si opera pretium foret;
cf. CAROLI DV FRESNE Glossarium ad Scriptores
medice

mediae & infime Latinitatis, T. VI. col. 1682. hac voce, editionis recentissimae Parisinæ Monachorum Ordinis S. Benedicti e Congreg. S. Mauri. Hunc sensum & huius loci esse, patet ex utraque SCHRAEA, dialecto Saxon. infer. conscripta, ubi verba occurrunt: De GEMEYNHEIT DER BVRGERE de fall horen Sc.

2. ELECTAM.) vertit SCHRAEA recentior GEKOREN; exinde non incongrue colligitur, has Leges scriptas, ab ipsis Civitatis Sufattenis Incolis, ex antiquis consuetudinibus fuisse collectas & concinnatas, nemine illas ipsis prascribente; alias enim iura Sufattenia nequaquam electa iura, gekorene Gesetze dici possent.

3. OPPIDI.) Vocem oppidi, apud veteres Latinos Scriptores, promiscue cum voce urbis usurpatam, demumque, ex quo Roma peculiari nomine urbs vocari coepit, factum fuisse, ut cæteræ urbes oppida vocarentur, ex LAVR. VALLA de Lingua Lat. L. IV. c. 32. ostendit, fama meritisque illustris, GESNERVS, in absolutissimo suo Thesauro Linguae Latinae novo, T. III. col. 596. seq. Sic quoque Scriptores mediae Latinitatis oppidum atque urbem pro una eademque re habuerunt, ut pluribus evicit HENR. VALESIVS in Praefat. ad Notit. Galliar. p. XIII. sq. Productis a VALESIO probationibus novam vide adiectam in DV FRESNE Glossar. M. & I. L., T. IV. col. 1357. Distinguebantur autem oppida sive urbes a civitatibus, quæ sedes erant Episcoporum. Nil ergo in præiudicium vel diminutionem SVSATI nostri exinde colligi potest, quod sola oppidi appellatione hic loci insigniatur.

4) PRE-

4. PREPOSITI.) Sermo hic est de *Præposito* in civitate *Susattensi* ad Ecclesiam collegiatam S. Patroclo dicatam, de cuius fundatione, eiusque hodierno statu, plura dicemus in nostro prolixiori ad hæc Statuta *Commentario* promisso. Cæterum *Præpositi* Scriptoribus Ecclesiasticis illi dicuntur, qui *Ecclesiis præfunt*; v. DV FRESNE, l. c. T. V. col. 758., qui ibidem & col. subsequentibus varios huius vocis significatus exponit. Appellabantur autem *Præpositi* non modo ii, quibus in ecclesiis cathedralibus cura prædiorum ecclesiasticorum demandata erat, sed etiam isti qui Collegiis Canonicorum in Ecclesiis collegiatis, quæ vulgo *Præposituræ* vocantur, præerant, simul bona iis addicta curabant, & de redditibus rationes inibant. Ad istiusmodi *Præposituras* pertinet quoque *Susattensis* in Aede S. Patroclo sacra. Occupat in SCHRÆA Latina antiquiori *Præpositus Susattensis* primum inter eos, qui *Susati* iudicium habebant, locum, cum in his Statutis æquæ latinis, at recentioribus, eiusdem demum tertio, & in SCHRÆA Germanica secundo loco mentio fiat. Probabiliter admodum, me iudice, argumento, *Advocatum Susattensem*, eo tempore, quo hæc antiquissima Statuta literis mandabantur, laicæ conditio-
nis fuisse, adeoque *Præpositum*, quippe ecclesiastici ordinis virum, primo loco fuisse collocatum. Hic vero, temporibus subssecutis, *Archiepiscopo Colonensi*, itidem ecclesiastico Viro, maiorique ac ille munere fulgenti, cedere cogebatur. Nec mirandum est, *Præpositum* in SCHRÆA recentiori germanica demum post *Cliviæ Ducem* fuisse collocatum, cum purgata iam hoc tempore Sacra præcedentiam *Clivensis Duci*, S. R. I. Status, præ *Præposito Susattensi*, Collegii

E

Ca-

Canonicorum modo mediati Præside, iure suo postularent optimo. De *iudicio* denique *Prepositi Susattensis*, coque *ecclesiastico*, mox ad n. 6., ea, quæ necessaria videbuntur, afferemus.

5. SCHVLTHETI.) Scribitur communiter *Sculetus*, qui denotat *Prætorem*, *Præfectum*, *Ballivum*, *Judicem oppidi*, v. DV FRESNE in *Glossario*, T. VI. col. 230. & 277. Germanis hodie dicitur SCHVLTHEIS, quam vocem a Longobardis profeminatam esse, adstruit, immortale Suevia meæ decus, WACHTERVS in *Glossario Germanico*, T. II. col. 1472. sqq. Frequenter enim in *Longobardorum Legibus* occurrit SCVLTAIS, vox composita ex SCVLT, *Schuld*, *debitum*, & AIS, quod *Iudicem* denotare, GROTIUS autumat, rectius vero illud WACHTERVS cum EC CARDO, in *Not. ad Leg. Francorum Salic.* & *Ripuarior.* p. 193. in notis voce *Sculdahis*, a vocabulo germanico *heischen*, *querere*, *exigere*, derivat, ut adeo ScultaIS, Scultetus, idem sit ac *exactor debitorum aut culpæ*, der die Schuld heischet. A Longobardis hanc vocem acceperunt Franci, eamque deinceps domitæ a se genti Saxonice, una cum Fisco regio, intulerunt; cf. SCHILTERI *Glossar. Teutonic.* in EIVSD. *Thesauro Antiquit. Teutonicar.*, T. III. p. 721. a. coll. pag. 38. & 726. vocibus: Schulz, Ambmann, Scula. Saxones nuncupabant SCVLTHETA, exactorem, ideo scilicet quod delictorum poenas exigebat, v. HENR. SPELMANNI *Glossarium Archaiologicum* p. m. 507. sqq. Haec haec tenus de etymologia vocis Schulteti sufficiant. Quod officium eius attinet, observat WACHTERVS l. c., Scultetur in *Additamentis Regum Francorum ad Leges Longobardicas*, passim v. c. apud EC CARDVM

CARDVM, l. c. Tit. XIV. p. 193. conjungi cum *Iudece* & *Gastaldo*, ut dubium nonnunquam sit, idemne fuerit minister, an diversus? quod prius tamen WACHTERVS verisimilius censet, eo quod *Scultetus* multa iubeatur, viz. iustitiam quarentibus facere, multas exigere, fontes & fugitivos perquirere & rel., que cuncta amplitudinem officii ipsius satis abunde declarant. Hinc *Scultetus* apud *Longobardos* praeter *Vicecomites* nonnunquam loco *Comitum* iudicasse, & a *Longobardis* solis *Vicarios Comitum* dictos esse *Sculdasios*, opinatur ill. HEINECCIVS in Element. Iur. German. L. III. Tit. I. §. 22. not.*. Huic etiam hac in re assensum nostrum, contra CONRINGIVM, de iudic. reipubl. German. §. 27., & SAGITTARIVM, in Antiquit. Ducat. Thuring. L. IV. c. II. §. 2., præbemus, quod, sub *Francorum* in Germania imperio, *Sculteti* neutiquam una cum *Vicecomitibus*, loco Comitis, eoque impedito, iudicia tractaverint. Sed post tempora Carolingica Comitibus in exercendis iudiciis *Vicarii* erant *Sculteti*. Refert equidem eos *Glossa vetus* ad *Iudices pedaneos*, qui non scanno sedentes, sed stantes, & e vestigio munus suum exerceant. Verum ex plurim sententia SCVLDA SII sedentibus iudicibus adscribuntur, cum quibus facit BRVM MERVS in de Scabinis cap. VI. cui scvlte tvs a Comite est proximus, & primus e Scabinis, sine quo iudicium haberi nequit. Corroboratur haec sententia testimonio Speculi Saxonici, L. I. art. 59. §. 6., his verbis: Non poterit ullus Comes, qui sub regali banno cognoscit, legitimum habere SINE SCVLTETO iudicium, cui ante omnia se ipsum debet præbere indicandum. Adde Weichbild. Magdeb. Art. X.

§. 3.: *SCVLTE TVS* etenim Comiti seu Burgravi primam invenire debet sententiam, nec Burgravius aliquod exercere potest *SINE SCVLTE TO iudicium*; itemque *Ius Feudale Saxonie.*, Cap. 36. §. 2: - nullus Comes generali iudicio poterit praesidere *SINE SCVLTE TO*. Erat ergo his temporibus *SCVLTE TVS proximus* quidem a Comite, sed *eo inferior*, modoque iurisdictionem simplicem cum mixto habebat imperio, quum penes Comitem alta sive suprema esset iurisdictionis. Hinc *SCVLTE TVS* non iudicare poterat de vita & possessione, quia scilicet banum regium non habebat. Pluribus haec exposuit WINCKELMANNVS, in *Exsequis Rulandi Bremensis Sect. 29.*, in *Excellentiss. Domini DE WESTPHAL, Monum. inedit. T. III. col. 2080. sq.* Nec *SCVLTE TI SVSATENSIS* erat, iudicare de vita & possessione, illique tantummodo simplex in urbe competebat iurisdictionis cum mixto Imperio, suprema iurisdictione *Advocato Sufattensi* relata, sicuti hoc *Statuta nostra* comprobant. Vnicum adhuc de *SCVLTE TIS* addere licet, eos nimirum ab antiquissimis temporibus ex *ingenuis lectoris* fuisse. De *Saxonibus* hoc probat *Speculum Saxon.* L. III. Art. 61. §. 2: *NEMO potest PRÆFECTVS esse NISI INGENVVS sit, & de illa iurisdictione oriundus*, quod in Zobeliana huius Iuris provincialis versione ita sonat: *Es mag NIEMAND SCHULDTHEISS gefein ER SEY DANN FREY, und von dem Lande geborn, do das Schuldtheitskumb oder Gericht innen ligt.* De cætero sola *Statuta Latina vetustiora SCVLTE TI urbis Sufattensis* meminerunt, cum *Latina recentiora* tertium Iudicem plane fileant, *utraq[ue] autem Germanica loco*

loco eius substituat *Magistratum urbicum*, scvlto pertinaci silentio preffo. Dubio procul, quod inde a Sec. XII. eiusque exordio *Consules* in urbibus passim celebrari coeperint, quum antea eorum nomen & dignitas prorsus fuerint ignota.

6. SYNODVM.) *Synodus* vox græca originis a ῥον & ὁδος. Denotat apud Scriptores Christianos quodvis *Concilium Episcoporum*, at propria mediæ aetati significatione indigitat *conventum*, qui ab *Episcopo* fit, *convocatis* quotannis parccia sua *Presbyteris*; v. *Glossarium Du Cangianum*, T. VI. col. 934. Verum hic significatus huius loci non est, cum potius per *Synodum* intelligatur *iudicium Ecclesiasticum a Præposito Sufatensi tribus quotannis vicibus celebrandum*. Transfert SCHRAEA utraque Germanica SENT, quæ vox communius scribitur SEND. Eam a græco vocabulo *Synodus* derivat ECCARDVS, l. c. p. 88. in nota, describitque den *Send*, das *Sendgerichte*, quod sit *iudicium annale ecclesiasticum*, ubi in villis & pagis Archidiaconi per officiales cognoscebant de illis criminibus, quæ erant in anno illo denuntiata atque ad hanc iurisdictionem synodalem pertinebant. Nec alia causæ, pergit idem Autor, ad hoc iudicium referebantur, quam quæ ecclesiæ censuram & punitiōnem mererentur, unde etiam die *heylige Send* frequenter appellatur. Sedulo equidem distinguit ab invicem ECCARDVS l. c. voces SENT & ZENT, quarum posterior *conventum politicum* vel, ex hodierno in Franconia & Palatinatu loquendi usu, *iudicium capitale, iurisdictionem criminalē, merum imperium, das hohe und Halsgericht*, denotat. Sed exinde non negat, has voces unius eiusdemque generis esse, quod

WACHTERO videtur, l. c. T. II. col. 1510., qui ipse tamen SEND de concordia ecclesiastico, ZENT de politico tantum dici, obseruat, & cui catteroquin libenter adstipulamur, quod utraque vox conveniat in radice, sem, quod Latinis dicitur *simul*. De hisce iudiciis ecclesiasticis annualibus plura in medium proferri possent, sed otium nobis hac in re, post SCHOTTELIVM in *Tr. von unterschiedlichen Rechten in Teutschland*, c. 6. p. m. 192. sqq., fecit par illustrium Academia nostrae ornamentorum, B. KRESSIVS in der rechtsgegründeten vollständigen Erleuterung des Archi-Diaconal-Wesens, und der Geistlichen Send-Gerichte, wie sie beyde sowohl bey andern Stiftern in und ausser Teutschland, als absonderlich in dem Hoch-Stift Ossnabrück von Zeit zu Zeit beschaffen gewesen und noch sind; Helmstedt 1725. fol., cum primis tribus prioribus capitibus, p. 30-53. & Magnificus PERTSCHIVS in der Abhandlung von dem Ursprunge der Archidiaconen, Archidiaconal Gerichte, Bischöflichen Officialn, und Vicarien, und deren Unterscheid &c.; Hildesheim 1743. 8., quorsum Lectores nostros ablegatos volumus. Verum enim vero dubium forsitan nonnullis nostris Lectitoribus hæredit, qua ratione *Præpositus Sufattensis* iudicium ecclesiasticum annum, den. *Send*, celebrare potuerit, cum hoc Archidiaconorum fuerit officium, & *Præpositi*, ut ipsi supra ad n. 4. observavimus, atque ex vulgatis Iuris Canonici principiis quam notissimum est, modo *capita Canoniorum* erant, eos regebant, bona iis addicta curabant & de redditibus rationes inibant; v. præter alios LUDOV. THOMASSINVM in eximio opere de veteri & nova Ecclesiæ disciplina, P. I. L. III. c. 66. & c. 70.

c. 70. T. I. p. 827. & 843. sqq. edit. Lucensis, ZEGERVVM BERNARDVM VAN ESPEN in *Iure Ecclesiastico universo*, P. I. Tit. XI. c. I. p. m. 63. BOEHMERVM in *Iure Ecclesiast. Protestant.*, L. III. Tit. V. §. 38. T. II. p. 285. sq. & PERTSCHIVM nostrum in *Elementis Iuris Canonici & Protestantium Ecclesiastici*, L. I. Tit. XXXV. §. 484. p. m. 299. At suppetit gemina pro vindicandis *Præposito nostro Susatensi* iudicis ecclesiasticis responsio: I. *Præpositis* nonnunquam, cum administratione rerum Capituli, simul *iurisdictionis*, vel bonis in Capitulum translatis cohaerens, vel Capitulo speciatim antiquitus concessa, demandata erat, cuius rei documenta hodienum adhuc sunt *Judicia Præpositalia*, die *Domprobsteylichen Gerichte*, v. BOEHMERVS, l. modo c. §. 39. p. 286. sq. & confer ea, quæ mox sequenti pagina e *Constitutionibus BRANDÆ Cardinalis* excerpta dabisimus. II. Coniunctæ nonnunquam erant dignitates *Præpositi & Archidiaconi*, ut patet ex *Epistola INNOCENTII III. P. R. ad Episcopum Praenestinum*, cuius particula extat C. 22. X. de Elec. infra 2. cf. PERTSCHIVM vom *Virspring der Archidiaconen* c. 13. §. 3. p. 258. adde THOMASSINVM l. c. P. I. L. III. c. 66. §. 6. & 7. T. I. p. 828. Sic v. c. ROGGERVS, *Archipræful Magdeburgensis*, a. 1121. PRÆPOSITO & *Conventui Novi Operis prope Halam Saxoniam* obtulit ARCHIDIACONATVM HALENSEM, vid. DE LVDEWIG Reliqu. MSS. T. V. p. 67., qui proinde in Chartis illius & sequentium Seculorum saepius occurrat cum apposita *Archidiaconi* nominatione, ut patet ex LVDEWIGIO l. c. p. 55. 72. Ex *Constitutionibus* porro BRANDÆ CARDINALIS Placentini Legati

Legati Martini V. Papæ, Visitatoris & Reformatoris pro ecclesia Moguntina & totius Alemannie de a. 1422. §. L. & LI., apud EVNDEM, T. XI. p. 406., apparet, & subsecutis temporibus coniuncta haut raro in una eademque persona fuisse Præpositorum & Archidiaconorum munera, his verbis: tollimus statutum sive consuetudinem -- quibus caretur, quod RECIPIENDI in PREPOSITOS VEL ARCHIDIACONOS iurare debeant, NON EXERCERE SVAM IVRISDICTIONEM in illos, ad quos pertinet elecio &c., & paulo post: Nolumus Notarios aut Sigilliferos PREPOSITORVM, ARCHIDIACONORVM aut aliorum Officialium ecclesiasticorum in EORVM IVDICIIIS aut officiis deputari, nisi sint clerici -- a quibus volumus iuramentum recipi, quod nullam sigillabunt scripturam, nisi de mandato IPSORVM PREPOSITORVM ET ARCHIDIACONORVM, aut eorum Officialium &c.

7. TRIBVS VICIBVS IN ANNO.) Quot vicibus in quolibet anno Archidiacomi suos synodos congregare, adeoque iudicia ecclesiastica, die Sende, exercere debeant, nullibi annotatum offendit, nec norma generalis & ubivis observanda per Canones Conciliorum praescripta est, hinc nihil certi hac in re definit diligentissimus THOMASSINVS, l. c. P. II. L. III. c. 76. §. 1. 2. T. II. p. 776. sq. SVSATI ternis quovis anno vicibus congregabatur Synodus, cum Statuta Sufattensia Latina, eaque vetustiora, literis mandarentur, recentiora autem æque Latina cum utraque SCHRÆA Germanica modo duorum annalium iudiciorum PRÆPOSITI mentionem faciunt.

8. cvi

8. CVI INTERESSE DEBENT OMNES &c.)
A frequentatione Synodi neminem immunem fuisse,
docet inter alia *Speculum Saxon.* L. I. art. 2. his ver-
bis: *EIN IETZTLICHT CHRISTEN MANN*
der IST PFLICHTIG DEN SEND ZV
BESVCHEN DREYMAL IM IAHRE, sa-
er zu seinen Tagen kommen in dem Bisphum da er inge-
sessen ist. Freyheit ist aber hieran dreyerley. Schoeppen-
baar-Leute, die sollen der Bischoeffe Send besuchen: die
Pflegkuffen der Thum-Probst. Die Landassen der
Ertz-Priestere. Sic etiam *Concilium Coloniense anni*
1266. præcipit, ut Prælati omnes inferiores Dioecesis
& Civitatis Coloniensis Synodos suas religiosissime
congregent, nullique copiam faciant, ut abesse & eius
statutis se subducere queat, nisi illis, quibus ad Epi-
scopi seu Archiepiscopi Synodum convenientum est.
Agit hac de re *Canon XIV. HVIVS CONCILII, in*
COLETI Collectione Concilior. T. XIV. col. 339., his
verbis: *Statuimus etiam, ut Prælati & ordinarii Iudi-*
ces nostræ Civitatis & Dioecesis in terminis earum iu-
risdictioni subiectis Synodum suam, qui ad hoc tenentur,
obseruent per se vel per alios congruis temporibus ab
ipsis prælati, prout expedire viderint, præfigendis, &
que corrigenda vel reformanda occurrunt, corrigant &
reformant: & omnes in ecclesia illa & parochia, in qua
Synodus celebranda fuerit, quondamque eis fuerit de-
muniata, ad ecclesiam & synodum veniant obdienter,
& iura synodalia obseruent reverenter, non obstante ali-
qua occasione, vel consuetudine contraria, quam corrup-
telam reputamus, & penitus reprobamus. Soli tamen
Nobiles excipiatur, qui ad nostram Synodum noscun-
tur

tur specialiter pertinere. Si qui vero Laicorum contra hoc venire præsumperint, & in hoc, mandato ipsius prælati sive ordinarii non obediverint: sententiam excommunicationis, quam in his scriptis in ipsis ferimus, ipso facto vel omissione incurvant, & excommunicati in gulis diebus Dominicis & festivis, per plebanos eorum & alios, prout hoc prælato ipsi expedire videbitur, usque ad satisfactionem condignam publice nuncientur &c.

9. DOMESTICI.) Inter varios, quibus hæc vox in media ætate accipiebatur, significatus, expositus a SPELMANNO, l. c. p. 179. sq. & in Glossario Du-Cangiano, T. II. col. 1584. sqq., nullus huc quadrat. Intelliguntur potius per Domesticos in Statutis nostris Cives Susattenses, qui proprias in urbe ædes habent, angefessene Bürger, id quod appareret ex utriusque SCHRÆÆ Germanicæ verbis: und den sellen unse BOERGERE alle, de HVIS SITTEN sind, halden.

10. INFRA.) communiter a Scriptoribus huius ævi usurpatum pro: intra.

II. CAVILLATIONE.) Sub cavillatione h.l. intelligitur calunnia, falsa accusatio, cum queritur, quod reprehendatur, etiam falso, quo significatu hæc vox saepius accipitur a QVINCTILIANO; V. V. C. GESNERI Theaur. Ling. Lat., T. I. col. 808. Addunt Statuta Latina recentiora: & captiostate, quam vocem probati Latini Scriptores ignorant, quæ igitur merito in Glossario Du Cangiano haut debuisse negligi. Captiosus cæterum apud bonos Autores audit captionibus sive deceptionibus plenus; hinc CICERO in Or. pro Roscio, Comm. 52. c. 17. exclamat: quo nihil CAP-

cum Specim. annot. iurid. hiflor. etymolog. 43

CAPTIOSIVS, neque indignius dici potest. Transfert
haec SCHRÆA Germanica: *funder SCHELTWAIRT,*
und funde VAIRE, quo iure, iudicent alii?

* * *

Iam ad id, quod Scriptionis nostræ *causa* & *oc-
casio* fuit, accedendum est. Placuit Serenissimo nostro
C A R O L O, Patriæ Patri Indulgentissimo, &
dilectæ suæ Iuliæ Carolinæ Nutritori munificentissi-
mo, placuit inquam OPTIMO nostro PRINCI-
PI, nuper ad devotissimam suam Academiam rescri-
bere, ut omnes Professores Prælectiones suas, per
instans Semestre hibernum habendas, cum publicas,
tum privatas, Programmate indicent. Huic clemen-
tissimo pariter ac sapientissimo mandato ut & nos,
pro virium nostrarum modulo, morem gereremus,
pietas atque obsequium in OPTIMVM Seculi sui
PRINCIPEM postulaverunt. Quo ergo tam exteris,
quam Vobis præcipue, Generosissimi ac Prænobilissimi
Academiæ nostræ Cives, patescat, qua in re per in-
stans Semestre opera nostra perfrui queatis; sciatis,
nos in SCHOLIS P V B L I C I S, diebus ordi-
nariis h. XI-XII., tradituros esse Historiam Gallicam,
Anglicam, Belgicam, ad ducentum Delineationis Gebau-
riane. PRIVATIM docebimus h. X-XI. Ius publi-
cum S. R. I. ex compendio Schmaussiano, h. II-III.
trademus Historian Regni Imperiique Germanici ex
Systemate Kœleriano, & h. III-IV. Examen Iuris Feuda-
lis Stryckianum interpretabimur, denique singulis
Mercurii & Saturni diebus h. I-II. aut alia commo-
diori, ad liberam plurimorum Dnn. Commilitonum ele-

tionem, vel Codicillos novorum politicorum ex Historia,
Iure publico & Statu Europeæ Regnorum politico illu-
strabimus, vel, commonstrando rariores & præstan-
tiores nostræ Bibliothecæ Libros historicos, de eorum
autoribus, contentis, præstantia vel nœvis scitu iu-
cunda & necessaria afferemus. Initium Lectionum
nostrarum demum die XXII. huius mensis Octobris fa-
ciemus, quod dies festum Academiæ nostræ natale
excipientes, cum Dissertationi nostræ inaugurali pub-
lice ventilandæ, tum publicæ in I. V. Doctorem re-
nunciationis pompæ erunt tribuendæ. Valete, Com-
militones charissimi! & frequentia vestra alacriores
nos redite! Deproper, in IVLIA CAROLINA,
die s. FRANCISCI, A. C.
CCXXXVIII.



Klemmstadt, Diss., 1748-49

ULB Halle

005 350 832

3



14.

H. 11. 4. mm. 7.

1748,5^b

6

VENERANDVM VETVSTATIS MONVMENTVM

SISTENS

STATVTA SVSATTENSIA LATINA

SAECVLO XII IN LITERAS REDACTA

DIV EXPETITA

EX ORIGINALI SVMMA CVM FIDE ATQVE CVRA
DESCRIPTA

ET

ADDITO SPECIMINE ANNOTATIONVM
IVRIDICARVM HISTORICARVM
ETYMOLOGICARVM
CEV PRODROMO PROLIXIORIS COMMENTARII
PRIMVM IN LVCEM EDITA

A

FRANC. DOMINICO HAEBERLIN

VLMANO

HIST. PROF. PVBL. ORD. ET FACVLT. PHILOS. H. T. DECANO
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA


HELMSTADII

APVD CHRISTIANVM FRIDERIC. WEYGAND
A. C. MDCCXXXVIII



B.I.G.

Farbkarte #13



VENERANDVM VETVSTATIS MONVMMENTVM

SISTENS

STATVTA SVSATTENSIA
LATINA

SAECVLO XII IN LITERAS REDACTA

DIV EXPETITA

EX ORIGINALI SVMMA CVM FIDE ATQVE CVRA
DESCRIPTA

ADDITO SPECIMINE ANNOTATIONVM

IVRIDICARVM HISTORICARVM
ETYMOLOGICARVM

CEV PRODROMO PROLIXIORIS COMMENTARII

PRIMVM IN LVCEM EDIT

SIMVLQVE LECTIONES SVAS PER INSTANS

SEMESTRE HIBERNVM INDICAT

FRANC. DOMINICVS HAEBERLIN

VLMANVS

HIST. PROF. PVBL. ORD. ET FACVLT. PHILOS. H. T. DECANVS
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA

HELMSTADII

TYPIS JOHANNIS DRIMBORNII

A. C. MDCCXXXVIII